



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XIII. Salutem cooperatur universorum. Maria, juxta Andream  
Cretensem, salutem nostram cooperata est, unà cum filio patiente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

# DISCURSUS XIII.

*Ad salutem humani generis cooperata est cum Christo B.V. Maria.*

**B**eneficia humano generi, à Verbo incarnato præstita, Exordium  
 recolens Ecclesia Catholica, Christum diversis hono-  
 rorum titulis condecorare assuevit, ex quibus clarè  
 agnoscerent homines, Unigenitum Dei Filium, in  
 humanà, quam de Virgine Marià assumpserat, naturà, salu-  
 tem hominum operatum fuisse; hinc eum Salvatorem, Re-  
 demptorem, Reparatorem, Restauratorem, Reformatorem,  
 Renovatorem, salutis Operatorem & Auctorem, Mediatorem,  
 Donatorem gratiæ, & Advocatum apud Patrem, nomi-  
 nat. Sed & eosdem titulos Mariæ Virgini SS. Patres passim SS. Patres  
 attribuunt, unàque animadvertunt, quòd sicut æterna Pa-  
 tris sapientia nonnisi incarnata, cooperante Spiritu S. salutem  
 humani generis operata est, sic etiam Beatissima Virgo, quæ  
 Christo carnem dedit, & sanguinem, humani generis salu-  
 tem, cum eo sit cooperata, adeoque pari titulo, tam Matri  
 quam Filio, perennis debitor mundus existat. Auctricem  
 salutis appellat Mariam Virginem Deiparam S. Augustinus. S. Augusti-  
nus.  
*ferm. 19. de Nat. Veneremur salutis auctricem, quæ dum Aucto-  
 rem suum concepit de cælo, nobis Redemptorem præbuit in terrâ.*  
 Redemptricem recognoscit S. Anselmus. de excellent. Virg. S. Anselm.  
*Propter hanc totus mundus factus est, & per hanc homo redem-  
 ptus est, & Verbum Caro factum est.* Reparatricem intitulat S.  
 Bernardus. super Salve Regina. *Pura sanctitas, & sanctissima* S. Bernard.  
*puritas pissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem,  
 sanctitatemq; transcendens incomparabili puritate hoc prome-  
 ritum, ut perditæ orbis reparatrix dignissima fieret.* Mediatricem  
 vocat S. Laurentius Justinianus. *ferm. de Annunt. Est Maria* S. Laurentii  
Justinian.  
*juxta*

juxta Gabrielis Oraculum plena gratia, qua effecta est paradisi  
scala, & hominum verissima mediatrix. Cooperatricem re-

demptionis veneratur B. Albertus Magnus, super illud, et  
cap. 191. *Fuit mediatrix reconciliationis, adiutrix redemptionis.*

S. Petrus Chrysolog. Matrem gratiæ invocat S. Petrus Chrysologus, serm. 1. c. 2. *venisti gratiam apud Deum: quantam? quantam superius  
xerat, plenam: & verè plenam, qua largo imbre totam funde-  
ret, & infunderes creatura.* Tituli hi omnes, Mariam Vir-  
ginem, saluti nostræ cum Christo cooperantem demonstrant,  
à quâ gratiam Spiritûs S. implorantes, Conceptus forma-  
bimus.

## CONCEPTUS I.

Confirma-  
tio seu De-  
ductio.

Causa primaria, principalis, efficiens, & origo salutis  
nostræ fuit voluntas Patris æterni, conformis cum voluntate  
efficaci Unigeniti Filii sui Jesu Christi, quâ is pretiosum san-  
guinem suum, & infinita atque condigna sua merita, pro  
omnium singulorumque peccatis, obtulit in holocaustum,  
iisdemque superabundanter satisfecit. Teste Isaia Propheta  
cap. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et S. Paulo Apostolo ad  
Philipp. 2. cap. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad  
mortem, mortem autem crucis.* An non Christus, Maria Vir-  
ginis verus Filius fuit? An non semper veram, ac maternam  
potestatem, & jurisdictionem, quæ parentibus aliis in filiis  
competit, etiam in Filium suum Virgo Dei Mater habuit  
maximè, cum S. Lucas Evangelista de illo scribat 2. cap. *Et erat  
subditus illis.* An non etiam ipsa voluntatem suam, cum vo-  
luntate Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, in omnibus  
profundissimâ humilitate ac devotione conformabat, de qua  
rum nutu solo semper pendeat? An non hæc obediens  
ancilla Domini, æterni Patris decreti conscia, quod nati-  
vum filius ejus, cui ipsa carnem dederat, & sanguinem, pro  
totius mundi salute moriturus esset, *fiat mihi secundum vo-  
luntatem tuam* dixit, & hunc eundem filium suum, & quidem

suum erat, semetipsam humilians, & usque ad durissimam mortem crucis facta obediens obtulit? si ergo efficax Christi, cum voluntate Patris conformis voluntas, quâ semetipsum pro peccatis nostris obtulit in holocaustum, origo fuit, ex quâ Christum dicimus *Salvatorem mundi*; necessario dicendum erit, etiam efficacem Beatissimæ Virginis Matris Dei, cum voluntate Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti conformem voluntatem, quâ Filium, & quidquid suum erat, pro salute hominum obediens obtulit, sit origo, ex quâ Mariam *salvatricem mundi* venerari possit universus orbis. Sic doctissimus Arnoldus Carnotensis. de laud. Mariæ. *Omninò tunc una erat Christi & Mariæ voluntas, unumq; pariter holocaustum offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis; unde communem in mundi salute, cum illo effectum obtinuit.* Adnatum concludit Richardus de S. Victore. cap. 26. in Cant. *Maria omnium salutem desideravit, quâ sicut, & obtinuit, imò salus omnium per ipsam facta est, unde & mundi salus dicta est.*

## CONCEPTUS II.

Opus redemptionis nostræ ab incarnatione principium, & in passione ac morte Jesu Christi in carne passibili finem sumpsisse, docent SS. Patres, totumque carni Jesu Christi, salvationis nostræ complementum adscribit S. Bonaventura. 1. sentent. distinct. 48. *Nostra redemptio completa est per carnem Jesu Christi.* Quæro nunc ego: Caro Jesu Christi, cujus caro erat? respondet S. Petrus Damianus. serm. 2. de Nat. B. V. *Manat liquor ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris.* Ex lacte Virginis, & sanguine, cooperante Spiritu S. æterni Patris Verbum Caro factum est, caro igitur Jesu Christi, Mariæ Virginis caro erat, Mariâ consentiente caro hæc in monte Calvarie cruci affixa, pretio sanguinis animas nostras redemit, pro peccatis nostris in victimam holocausti se obtulit, mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit, ad redemptionem itaque animarum nostrarum

nostra-

nostrarum, ad mortis nostræ destructionem, & ad vitæ æternæ reparationem cooperata est una cum Jesu redemptionis ac reparatrix Virgo Maria. Dignissimè audiendus est S. Iacobinus Archiepiscopus Florentinus. tit. 15. cap. 20. §. 1. *Quod dicitur de aeterno Patre Christi, & de Matre ejus, dici potest à Apostoli ad Rom. 8. cap. Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, scilicet crucis voluntate, & affectu, modo non etiam cum illo omnia nobis donavit perimentiam salutem.* Difertè etiam ad propositum nostrum perorat S. Anselmus. in orat. ad B. V. *Per fecunditatem tuam, Domina, mundus peccator est justificatus, damnatus salvatus, exul rediit, partus tuus, Domina, mundum captivum redemit, agrum seminavit, mortuum resuscitavit.* Salutis nostræ piissima Cooperatrix.

### CONCEPTUS III.

Vix natus est orbi Salvator mundi Christus Dominus, ecce eum rudibus ac simplicibus pastoribus annuntiat celestis nuntius, dicens: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod est omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator mundi, Christus Dominus.* Lucæ. 2. cap. Percepto nuntio festinant pastores, & transeuntes usque Bethlehem. *Invenerunt parvulum cum Maria Matre ejus.* Num fortè casu, Christum & Mariam conjunxit Evangelista, ac dixit: *puerum cum Maria?* In hoc voluit sacer Historiographus, Christum Virginem Matrem suam ad opus redemptionis nostræ, sociam assumptisse, quem mundus Christum agnosceret Salvatore, ejus Matrem Mariam Virginem, mundi salvatricem esse nullatenus cogitaret, Mariam, cum quâ natus in præsepio Christus primò apparuit, etiam moriens juxta crucem stare disposuit, ut salutis nostræ, quod cum nascente filio Mater inceperat, cum moriente obediens consummaret. Unde B. Albertus Magnus tract. super missus est. quæst. 75. scribit: *Quod per misericordiam, filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit. Filium genuit, in quo nobis omnia donavit.*

Cum itaque Unigenitus Filius Dei Iesus Christus salutem Epilogus.  
nostram, non nisi cum Mariâ Virgine Matre suâ operetur,  
dignum sane censeo, integros nos, toto cordis ac mentis affe-  
ctu ei recommendare, cum S. Anselmo, de excellent. B. V.  
cap. 12. *Rogamus ergo te Domina, per ipsam gratiam, quâ te  
pius ac omnipotens Deus sic exalavit, & omnia tibi secum possi-  
bilia esse donavit, quatenus id ipsum nobis impetres, & obtineas,  
ut plenitudo gratia, quam meruisti, in nobis sic operetur, quatenus  
participium beati pramii nobis misericorditer quandoq; condone-  
tur: benignissimus Filius tuus Dominus noster Iesus Christus  
erit ad concedendum, quidquid voles, promptissimus, & exar-  
dibilis; tantummodo itaq; velis salutem nostram, & salvi erimus.*  
Amen.

*Qua cum prole piâ, reperitur Virgo Maria,  
In cruce quando luit, non sine prole fuit;  
Juxta crucem stabat, redimi te, munde, iurabat,  
Clamet utriq; malus, sis sociata salus.*

